

I. N. J.

*CHRISTUS asyla suis sanctissima vulnera praebet,  
Statq; magistratus patriae asylon opis.*

Tam tristis nunc est temporum facies, ut fontica causa persecutrix dispicere asyla miseros cogat. Christianis à mundo persequente, satana insidante, peccato decipiente, carne blandiente, poena comite culpam premente nunquam non exagitatis actisque parata & aperta semper sunt tutissima asyla CHRISTI VULNERA. Est & subditis bonis atque egenis benignus clementissimusque magistratus aliquod divinitus constitutum asylum. Fatetur hoc etiam cum multis gratis piisque animis SCHOLA PROV. SCHVVARZB. & in ea tenuioris sortis, bonae tamen frugis discipuli & illustris munificentiae alumni non pauci. Hinc merito nullam occasionem pro **CELSARUM MENTIUM**, imo totius patriae incolumitate vota Deo nuncupandi solvendi que praetermittens

*Illustrissimae Comitissae ac Dominae,*

**DN. AEMILIAE JULIANAE,**

Com. Schvvarzb. & Hohnsteini, natae Comitissae de Barby & Mylingen Dominae Arnsteti Sondershusae, Leutenbergae, Lohrae & Clettenbergae, Patriae Matris benignissimae exoptatissimam memoriam Natalitiam d. XIX. Aug.

*& Illustrissimi Comitissae ac Domini*

**DN. LUDOVICI FRIDERICI,**

S. R. I. IVviri, Comitissae Schvvarzb. & Hohnst. Domini Arnsteti, Sondershusae, Leutenbergae, Lohrae & Clettenbergae, Patriae delicii unici,

Onomasticam d. XXV. Aug. LUDOVICI auspiciato reducem humillimo obedientiae officio excipiet.

*Hoc speciatim defungetur*

**JOH. MICHAEL CELLARIUS**, Ilmanus, Illustris studiorum in Schola subsidii alumnus,

Romulum, Romanorum primum Regem vituperans, praecipue asylum ab eo erectum destruere conaturus;

**JOH. ADAM Röder** / Nobilis Thuringus,

Eundem refutatis prioris argumentis dilaudans asylum erectum defensurus, in universum de asylorum antiquitate, varietate, immunitate, utilitate dicendo, & ad Christianos Magistratus applicando:

Nostro autem Clementissimo universo, tanquam facto tecto Patriae adhuc divina gratia asylo, uterque incolumitatem gratulabitur, perennem faustitatem precabitur

*ad d. XXVI. Aug. hor. IX. in Audit. Maj.*

Quibus, ut O. Ord. Auditores spectatissimi, honoratissimi benevolas aures quaedam veluti asylo aperire dignentur, observantissime humanissimeque rogat

cum DN. RECTORF.

**JOH. CHRISTOPH. TREUNER. C. C. P. ConR.**

Caesarologiam exhibere pergens.

Rudolstadtii, Literis FLEISCHERIANIS. Anno 1680.



Ub fin. Sec. IIX. & init. IX. Imperium iterum est divisum in *Orientalis* & *occidentale*. *Caroli M.* enim virtus tantum eminebat, ut *Desiderium*, Longobardorum R. ultimum, vinceret, (ex quo Imperatores vocati sunt *Reges Longobardorum* & ferrea corona coronati) & jure transactionis cum Imperatoribus Orientis jus suum & ἀξιωμα in Italia *Carolo* cedentibus & jure potissimum belli *Occidentis* IMPERATOR GERMANUS fieret, qui, & Successores, utut *Franci* i. e. Germani optimo Jure ex *Augusta Urbis Romae* opinione & aliis causis *Imp. Romani* dicuntur frustra Germanis alieni nominis jactantiam ex probrante *Joh. Bodino*, *Andegavenfi Gallo* politico, quem sua nimium praedicantem, alios vero insolenter conculcantem anagrammatismus *Andius sine bono* satis refutat. Deinceps ergo Imperatores *S. R. I.* occidentis coepto conatu usque ad nostra tempora pertexentur: *Orientalis* vero imperii magis magisque decrepantis, usque dum sub *Constantino Palaeologo* sub *Turcas* redigeretur, Imperatores *sexaginta* ferè tantum hic nominasse sat erit. (Sec. IX.) *Nicephorus*. *Michaël Curopalates*. *Leo V. Michaël Balbus*. *Theophilus*. (acerrimus & ultimus *Iconoclasta* pictoribus digitos adussit, ne illorum opera esset occasio imagines habendi.) *Michaël* (vecors & saevus cum matre *Theodora*. *Basilus*. *Leo VI. Philosophus*. (Sec. X.) *Alexander*. *Constantinus Porphyrogennetus*. *Romanus Lacopenus*. (hoc tempore Imperium Orientale magis fit ignavum & luxus mancipium) *Romanus Junior patris, fratris, sororis percussor*. *Nicephorus Phocas* (luxum, quæso, judica ex eo, quod 2000. equos amygdalis, croco, cinnamomo, vino odorifero aluerit) *Joh. Zimisca*. *Basilus & Constantinus* (Sec. XI.) *Constantinus solus fratre mortuo*. *Romanus Argyropylus*. *Michaël IV. paphlago adulter cum Zoe antecessoris uxore*. *Michaël Calaeophates*. *Constantinus Monomachus*. *Theodora Soror Zoes*. *Michaël Stratiotes*. *Isacius Comnenus*. *Constantinus Ducas*. *Eudoxia Constantini vidua cum Romano Diogene marito*. *Michaël Ducas Parapinaceus* (à fame sub ipso invalescente) *Nicephorus Botoniates*. *Alexius Comnenus*. (Sec. XII.) *Calo Johannes* (aprum petiturus sagitta veneno illita sibi manum vulnerat, quam nolens præscindi, quod imperium tantum una manu regi non posset, moritur) *Manuel Comnenus*. (*Gypso farinae mixto & Conradi Imper. militibus pro commeatu misso fere totum exercitum necat*: simili fraude Imperatore indignissima usus adversus *Ludovicum Francorum Regem*) *Alexius Comnenus*. *Isacius Angelus* (*fratris, cujus magno pretio à Turcis redemptus erat, occisor*) *Alexius Junior*. (Sec. XIII.) *Ducas Alexius Balduinus*. *Henricus*. *Petrus Altisiodorensis Comes*. *Robertus*. *Balduinus II*. *Michaël Palaeologus*, *Andronicus II*. *Theodorus Johannes*. *Michaël Palaeologus*. (Sec. XIV.) *Andronicus*

cus III. Johannes Palaeologus. Johannes Cantacuzenus. Andronicus IV. Emanuel (Sec. XV.) Johannes VII. Joh. IIX. Johann. IX. Constantinus Paleologus, Johannis fr. (huj. nom. fere XII.) sub quo Constantinopolis à Turca Mahomete II. capta A. C. 1453. d. 29. Maj. (an ipsis feriis pentecostes? ut vult in ultionem negatae Spir. S. à Filio processione Bellarminus) Imperante Friderico III. & sedente Papa Nicolao V. Hic est finis crapulae, fastus, luxus, libidinis, ut à summis principibus ortae puellae jam bubulcis sint desponsae, & reliquiae Imperatorii generis contemptius inter Turcas habeantur, quam *Dionysius Corinthi*. Horrendam & cruentam expugnationem vix sine lacrymis legas: Imperatoris caput in lancea per totum exercitum in spectaculum portatum, virgines & mulieres stupratae & gladiis dissectae, nec ullis parcitum, qui ultra sexennium erant: Sacerdotes & Moniales miserrimo cruciatu trucidati. Parce, Deus, nostris peccatis, & fac, ut alieno damno sapientes *pie, juste ac sobrie* tibi vivamus.

*IMPERAT: Occident. Nomina, Elogia,*  
Sec. IX. a C. N.

Non potis est versu prendi *Pater* inclytus *Orbis*,

<sup>a.</sup>Qualis erat CAROLUS, Francorum Gloria, MAGNUS.

LUDVICUS PIUS, aſt minor is virtute Parente.

<sup>b.</sup>Fraternis odiis lacerabas Regna, LOTHARI!

<sup>c.</sup>Armis, Conſiliis, LUDOVICE *Secunde*! valebas.

<sup>d.</sup>CAROLE CALVE minax faſces vi, dote capesſis.

Pacificus, ſimplex LUDOVICUS nomine BALBUS.

Corpus, mēs CAROLUM deponūt langvida CRASSUM.

Strenua bella prius mutas, ARNULPHE, rapinis,

A 2

Atq;

Atq; soloecismis maculas civilibus orbem.

Postremi à CAROLO LUDOVICI improspere *Quarti.*

a. *Carolus.* Apage ridiculam & insulsam compositionem vocis ex *caro* & *olus*. Est Germanicæ vocis Germanica origo à *Kar* s. *gar* i. e. plane, omnino, & *hel* i. e. vegetus, strenuus, acris, ut *Karel* / *Carolus*, *Carolomannus*, nunc *Kerl* / idem sit, quod Græcis *Αυδέας* *tapffer Mann*. Pulchra, potius tamen allusio, quam derivatio est, quia ab Hebr. *נרן* oravit & prædicavit *beten und predigen* / & *ינ* *Deus* q. d. *invocator Dei*. Sane in *Carolus M.* apprime convenit, qui pietate, virtute, munificentia, eruditione & rerum gestarum celebritate ac felicitate verè *MAGNUS*. *Cujus Historia* (sunt verba *Dn. D. Christfrid. Sagittarii*) est *casibus opima, præliis atrox, seditionibus discors, publicis mutationibus gravis, translationibus regnorum & Imperiorum ampla, superstitionibus ac vitiis fecunda nec virtutibus sterilis, observationibus civilis prudentiæ feracissima*. Pater *Pipinus* primus scribitur nomen *Christianissimi* tulisse, quamquam alii Regem *Galliæ Christianissimum & primogenitum Ecclesiæ* dici volunt, quia *Clodoveus* (*Ludovicus*) Rex *V. Francorum* (quo nomine jam tempore *Probi Imper.* sub fin. *Sec. III.* dicebatur quicquid in *Germania libera gentis* erat reliquum, *franc* / *frey*) sub fin. *Sec. V.* baptizatus & *Christianismo* initiatus fuit. De eo sequentia historiæ præcipua momenta notentur: *Orbis pater* dictus novo titulo, eo nempe sensu, quo *Imperator R.* alias *mundi Dominus* dici solet, non quod totus mundus *Imperatori R.* subjici possit aut debeat, vel etiam *Augusti ævo* sub ditione *Romanorum* fuerit, quod *Bartholus Jct.* & alii asserunt, hæreseos accusans secus statuentes; (vid. *Conring. de Imperat. R.*) quod *Alexander M.* affectabat dicens: *nec mundus duobus solibus regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere* *Curt. lib. 4. cap. 11. §. 22.* Sed per quamdam *ἀυξήσων* ipsis sacris literis non infrequentem, quia *Romanum Imperium* propter excellentiam vocatur *πᾶσαν διακρίμενην* alle *Welt*. Imperio enim occidentali non tantum corpus formavit, sed etiam animam inspiravit religionis propagatione & legum sanctione. *Patricius Romanus* factus i. e. communi procerum consensu in *Synodo Romana* ab *Hadriano Rom.* celebrata jus eligendi *Pontificem & Episcopos* in *provincia Italia* à *Longobardis* non occupatis collatum. Post ipsa *nativitatis Domini* die anno *800.* ab omni populo *R.* illi acclamatum: *Carolo piissimo, Augusto à DEO coronato, Magno, Pacifico Imperatori.* Cum scilicet accusatores *Pontificis Leonis III.* in probando deficientes ad supplicium rapuit, postquam *Pontifex* integritatem juramento probare jussus fuit, frustra prius illo *Pontificiæ Tyrannidis* mysterio

rio

rio tunc primum promulgato & opposito: Pontificem à nemine judicari posse. Si verò ante Imperatoris titulum Rex Francorum fuit & pleraque occidentalis Imperii obtinuit, quid per Imperatorium titulum est consecutus? Respondet Princeps ingeniorum Politicorum *Conringius* de Imperat. Rom. §. 28. per Imperatorium titulum illi collatum jus omne in Urbem, Pontificem, Exarchatum Ravennae & alia oppida quaedam extra Longobardici regni fines posita, quae fuerant Caesarum usq; ad solennem illam rebellionem, qua *Gregorius Secundus* Papa superstites Imperii Romani reliquiae à *Leone Isauro* & secutis Constantinopolitanis defecerunt. An huic sententiae rectè contradicat ó Δείνα in Libertate aquilæ triumph. judicent alii. Bella IIX. confecit: 1. cum Aquitanis, 2. cum Longobardis & horum Rege *Desiderio*, quem vicit. 3. cum Saracenis in Hispania, in quo amisit *Rolandum* sororis suæ filium; cujus statuam, den *Grossen Roland*/ ponendi potestatem quibusdam Saxonis civitatibus, quasi plenæ jurisdictionis notam concessisse, opinio multorum est, sed cum urbium illarum quaedam post *Caroli M.* demum, tempora sint conditæ, vanam putat *ἀνεπίστατον* *Conringius*. Tunc tetraſtichon lugubre ipse Imperator hoc fecit:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis;  
 Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies;  
 Sed qui *lustra* geris octo binos super annos,  
 Ereptus terris justus ad astra redis.

4. Contra Bavaros, quorū Regem *Tassilum*, læsæ majestatis reum, monasterio inclusit. 5. contra Hunnos octavo anno victos. 6. contra Sorabos, adversus quos *Naumburgum* & *Bohemos* *Dresdam* exstruxisse fertur. 7. contra Danos seu Normannos, contra quos *Hamburgum* si non exstruxit, certè reparavit. 8. atrocitate & diuturnitate gravissimum à patre avoque cœptum, à se repetitum contra Saxones, qui etsi jamtum *Maximiani* temporibus (Sec. III.) innotuerunt, tamen hoc ipso bello magis inclaruerunt cum Rege suo *Witekindo*, Saxoniae Domus Conditore, qui non procul urbe *Padeborn* conversus & baptizatus à *Carolo M.* titulum *Ducis Saxoniae* & *Principis Imperii* accepit: quanquam jamtum ante hanc à *Carolo M.* impertitam appellationem modo Ducis modo Regis nomine venit. Præcesserunt enim ab A. C. 629. hi *Berthold*, *Sighard*, *Dietericus*, cui tres filii: *Edelhard*, *Barthold*, *Wernekind*: natus maximus mortuo patre regnum suscepit, qui moriturus minimum fratrem Saxoniae regem dedit, hujus *Wernekindi* ex *Kunigunda* filius fuit *Witekindus*. Bellum autem istud Saxonicum alii XXXIII. annis circumscribunt, alii o-

perosum esse putant, ejus annales constituere. Identidem enim rebellantes vix domare potuit, donec multis millibus per imperium dispersis & Gallis Transalpinis Saxoniam & Saxonibus in Galliam translatis & Jure Westphalico constituto in ordinem redegit. Quod jus, ceu luculentum rationis status exemplum, adducit ó *Δείνα* prolegom. de ratione status p. 20. & tale fuisse scribit: *Jus Westphalense à Carolo M. adversus rebellantes in infinitum Saxones inventum, quo Judicibus, quos conscios vocabant, quiq; certis ritibus initiati seipso inter se cognoscebant in pacis & fidei violatores religionisq; desertores animadvertendi, etiam indicta causa, potestas data. Hoc, licet per se iniquum & aliquando injustitiæ fomentum, cum facile etiam innocentes hoc infortunio implicari possent (qua de causa & propter hunc abusum Jus hoc posteriori tempore quoque sublatum est) necessitate tamen temporum hujusmodi acre remedium exigente diu toleratum est. Nam Saxones hac seviendi libertate animadvertendiq; libidine in officio retentos explosaq; avita superstitione sacra Christiana suscepisse testatur eventus. Huc usque ille. Hoc igitur medio Carolus M. plantavit Ecclesiam apud Germanos Deo ordinante vi belli cogens Saxones ad religionem, (Försterus in E. sai) quibus jure victoriæ cultum veri Dei imponebat (Sagitt. diss. de Carol. M.)*

Ad eum & de eo hæc quoque notatu digna referuntur: Multorum in Germania, septentrionali cum primis, ad Christi fidem Conversio, Episcopatum & monasteriorum institutio, cum Episcopis Saxoniam quidem tributariam fecit & dedit; sed tamen propterea potestatem secularem non concessit; ut Nobiliss. Struvius contra Cranzium observat, Ottonem M. demum Sec. X. Brunoni fratri Archi-Episcopo Coloniensi Ducatum Lotharingiæ cum Jurisdictione politica concessisse & primum secularis potestatis donatorem esse asserens. Pericopæ Evangelicæ Homiliis patrum Jussu hujus Imp. à *Warnefrido* (qui alias *Paulus Winfrid, Warnefridi, & Theodolindæ* filius, it. *Paulus Diaconus* dicitur; hi enim unus sunt; prius fuit Diaconus Aqvilegensis & *Desiderii* ultimi Longobardorum R. Cantuarii; post inter captivos nobiles à *Carolo M.* abductus & propter prudentiam cellarius, ob VI. libb. de Longobardicis celebris historicus) fuerunt illustratæ, quæ post Evangelia legi debebant, hinc *Post Illa* dictæ, quæ duo divisa infulsi monachi postea in vocem unam barbaram *Postilla* contraxerunt. Falso autem ipsarum Pericoparum origo seu *textuum* Dominicalium collectio ad *Warnefridum* refertur & immerito is à Sixtino *Amama* acerbè perstringitur, quod *judicio* nullo *textus dominicales ex integris Evangeliiis & Epistolis separavit sensum pervertens, inconcinne & importune refecans, à scopo primario avertens, connectenda male dividens, necessaria non addens, ministris mollem pigritiæ lectum sternens*; pessima verò & diabolica vox est, quam eructavit *Jodocus Nahumus*, cum in præfatione concio-

cionum suarum pericopas Evangelicas satanicam fontium Scripturæ occlusio-  
nem vocat. Censet enim malus hominis genius, ipsos fontium divinatorum the-  
sauros occludi, quod singulis annis iidem textus Evangelici explicandi veniant,  
putatque, ita necessariò *idem* quot annis inculcandum esse, id quod non cum fasti-  
dio solum, sed cum damno quoque auditorum conjunctum sit, quippe quibus, si  
singulis annis alii textus verbi divini enucleentur, instillari innumerabiles do-  
ctrinæ possint. vide præfationem *Mitternacht*, in *specim. Philolog.* Nec ma-  
gis verè Venerabili Bedæ ( Sec. IIX. ) tribuitur: Sed Pericoparum indu-  
stria ut pulchræ harmoniæ & *συμφωνίας* laude, ita etiam antiquitatis  
autoritate coruscat. Jam tum enim Apostolicum ævum in Pericopas certas  
N. Testamentum distinctum vidit, quarum quædam certis diebus solenniter lectæ  
& expositæ fuerunt, teste *Augustino* ( sub finem Sec. IV. ) Serm. II. in die Pente-  
cost. Autor ergò *Warnefridus* Pericoparum non est, etsi forsan primus Postilla-  
tor. Præceptores Caroli M. fuerunt *Petrus Pisanus*, qui lingvarum peritia, &  
*Flaccus Angvinus*, vulgò *Albinus* Anglus, *Bede* primum hinc *Egberti* Archiepisco-  
pi ( ut *Vossius*; aut hujus solius, ut *Conringius* ) discipulus Latine, Græce, He-  
braice callens, Rhetor, Philosophus, Mathematicus, Theologus, qui eum Elo-  
quentiæ & Astronomiæ præceptis imbuuit eidemque postea ab Eleemosynis & san-  
ctioribus consiliis autor conditæ A. C. 791. Parisiensis Academiæ, occidentalium  
Scholarum primæ, fuit. Unde porrò Carolus amore literarum & bonarum ar-  
tium incensus plures scholas Ecclesiis Cathedralibus additas Canonorum Col-  
legia & Monasteria instituit, quæ tunc non stabula otii & socordiæ, sed pietatis  
& artium Christianæ officinæ erant. Imò hic ardentissimus Caroli in Scholas a-  
mor æmulatione laudabili mox alios Reges & Principes inflammavit, ut in curam  
publicarum scholarum hæcenus neglectam certatim incumberent, ceu latius & cu-  
ratius diducit hanc Academicam antiquitatem *Conringius*. *Eginhardus* omnium  
Germaniæ historicorum antiquissimus, *sed an Caroli M. gener?* Sunt, qui scribant,  
Carolus M. occaso sole stellas contemplaturum audisse *Eginhardum* nuptias fi-  
liæ ambientem & hanc eas non abnuentem; imò ne vestigia in nive proderent i-  
psum, tergo ab illa per aream esse portatum; hinc mane eos matrimonio legitimo  
jussisse iungi. Sed hoc multis verum etsi videtur, non probatur *Beeclero*: & testatur  
ipse *Eginhardus* his verbis: *Nullam filiarum (quinque autem hahuisse fertur) cuiquam*  
*aut externorum aut suorum nuptum dare voluit, sed omnes usq; ad obitum suum in*  
*domo sua retinuit, dicens se earum contubernio carere non posse.* Domestica igitur &  
prolis fortuna, æque atque *Augustus* olim, infelix fuit.

Tempore Caroli M. A. C. 804. Canonisatio Pontificia *Ἐπιθεώσεως* Ethnicæ  
abor.

abortiva proles, cœpit. Obiit *Karolus noster* V. KL. Febr. A. C. 814. Ætatis 72. Regni 47. Italiæ 42. Imperii R. 14.

b. Divisio inter filios *Ludovici Pii* sic facta; *Carolus Calvus* obtinebat Franciam, quæ continebatur Pyrenæo saltu, Rhodano, Scalde, Mosa fluv. & Oceano Britannico: *Ludovicus* Germaniam, inde Germanicus dictus, cum utraq; Pannonia: *Lotharius* natu maximus cum Imperii dignitate Austrasiam (NB. *Austrasia regnum*) ab hoc, vel certe à *Lothario II.* postea *Lotharingiam* dictam, Provinciam Narbonensem & Italiam. Sed cum *Lotharius* suis non contentus fratres *Ludovicum* & *Carolum* (ex *Juthida* Welphi Suevi filia, cum illi essent ex *Hermengarde*) lacefferet, bis victus tandem paciscitur. Exemplum res subvertentis fraternæ discordiæ (conf. supra Sec. IV. de Constantini M. filiis.) Tunc enim ex omni angulo exteræ gentes se iterum moverunt. Pertæsus imperii in Cœnobium Prumiense abijt felicior principatu deposito, quam administrato, ibique moritur, cum prius imperium divisit *Ludovico* natu maximo Italiam cum Imperii dignitate, *Carolo* Provinciam Narbonensem, *Lothario* Lotharingiam tribuens.

c. Bellum contra Saracenos Italiam invadentes feliciter gessit: Sclavos victos ad Christianam fidem produxit, quibus Papa *Nicolaus* sacra ipsorum lingua celebrare permisit. A *Sergio* Papa interrogatus, cur tam valido cum exercitu Romam accederet? resp. officium se facturum boni principis & vestigia majorum sequenturum. d. *Carolus Calvus*, *Ludovici Pii* filius, & *Ludovici Germanici* frater, quo iuste, sed frustra resistente à *Johanne IX.* (aut connumerata *Johanna* Papissa octava) IX. Pont. R. pecunia corrupto consecratus fuit: per quem actum etsi non à Papa solo, sed simul cum S. P. Q. R. exercitum successio imperialis non nihil fuit imminuta. Violenter igitur fratri Imperium, Italiam, & Galliam Narbonensem præripuit. Peregrini habitus & luxus studiosus oculis hominum placere studens animis displicuit.

Ceterum cum crebra *Ludovicorum* in hoc seculo fiat mentio, ne confundantur historiæ, ita sunt distingvendi: primus horum est *Ludovicus Pius* *Caroli M.* filius, & in Imperio successor. Huic fuit filius cognominis *Ludovicus Germanicus*, non Imperator, sed primus Germaniæ Regni Rex. Huic tres fuerunt filii *Carolomannus*, *Ludovicus Germaniæ R.* & *Carolus Crassus*. Porro & *Lothario Ludovici Pii* filio tres fuerunt filii: *Ludovicus*, *Lotharius* & *Carolus*, quorum primo, stirpis maximo, Regnum paternum & imperium cessit, qui dicitur *Ludovicus II.* Hujus ex *Hermengarde* filia & *Bosone* prov. Narb. R. Nepos *Ludovicus R. Ital.* excæcatus, *Ludovici Pii* nepos *Ludovicus III. Balbus*. Ejusdem abnepos *Ludovicus IV. Imp.*

REUZWZGR | quos hominum das, Rex cœlestis, Asyla,  
Serves, Tu nobis solus Asylon eris.



Tam tristis nun  
Christianis à mu  
comite culpam  
ma asyla CHRI  
que magistratus  
piisque animis  
puli & illustr  
SARU

**DN.**  
Com. Schvv

**DN.**  
S. R. I. IVv


Onomastic

JOH

Eundem ref  
asyla

Nostro autc

Qvibus, ut



nera praebet,  
n opis.  
ix dispicere asyla miseros cogat.  
ipiente, carne blandiente, poena  
rata & aperta semper sunt tutissi-  
genis benignus clementissimus-  
tur hoc etiam cum multis gratis  
rtis, bonae tamen frugis disci-  
tò nullam occasionem pro CEL-  
vota Deo nuncupandi

inae,  
**ILIANAE,**  
rby & Mylingen Dominae  
& Clettenbergae,

d. XIX. Aug.  
Domini  
**RIDERICI,**  
omni Arnsteti, Sondershusae,  
bergae,

to reducem humillimo obe-  
anus, Illustris studiorum

erans, praecipue asylum  
turus;  
s Thuringus,  
rectum defensurus, in universum de  
ate dicendo, & ad Christianos

o Patriae adhuc divina gratia asylo,  
m faustitatem precabitur  
*Audit. Maj.*  
enevolas aures quaedam veluti asyla  
anissimeque rogat  
R.F.  
ER. C. C. P. ConR.  
ergens.

1 s. Anno 1680.